

etiam in solo ac veste decidentibus guttis, ut procul dubio pateat succi illam naturam esse, quam miremur in corpore. Et *d. lib. cap. 33.* vocat unguves veluti Igne lucentes in tenebris, etiam in ore mandentium. Adde Rondeletium *de Testac. lib. 1. cap. 42. fol. 44.* & Bouffvetum *d. l. pag. 28.* Aldrovandum *de Testac. lib. 3. cap. 75. fol. 177.*

§. 18. Licet autem Th. Bartholinus *d. l. 2. cap. 15. pag. 305.* in Dactylis nunquam aliquid lucis conspexerit, ac proinde hanc Dactylis luminis narrationem aliis Plinii placitis annumeret, attamen ipsi reclamant Experientia Summi Kircheri, qui *l. c. fol. 25.* his verbis utitur: Certè qui rem non vidit, ægrè induci poterit, ut quæ narrantur, vera esse credat. Ego experimentum verissimum comperi: humor siquidem aspergillo in tenebrosam aërem dispersus, mox igneam, quasi pluviam ostendit, manus, vestesq; & quicquid lucentis humoris glutine inficitur, non minus ac scintillis flammisq; coruscum reddit. Si quis lardi accensi guttas cadentes unquam viderit, hasce luculas facile sibi imaginare poterit.

§. 19. Ostreas quocumque liquore viscido noctuq; coruscante imbutas esse certum est. De iis D. Joh. Dan. Major ad Philipp. Jacob Sachs Anno 1664. die 6. Decembr. ita scripsit: Aliquoties in Ostreis observavi, si vivæ adhuc, succidæ & bonæ, præsertim crescentis Lunæ tempore, reponantur in tenebras, emicare in ipsarum testâ alterutrâ circa crassiorem sui partem quandoque guttulam Perlæ minoris magnitudine, luce vividiusculâ, sed valdè clarâ radiantem, qualis color lucis est in Ventre Cicindelarum Festi Johannei tempore. Hanc guttulam noctu radiantem per occultum testæ meatum aliquamdiu retrahebant Ostreæ, manu humanâ contrectatæ, eamq; post concessam sibi quietem iterum foras proferebant. Vide Dn. Sachs in *Gamarolog. l. c. pag. 210.*

§. 20. Non vana forsitan Conjectura esset, si quis diceret guttulam hanc, quam observavit Dn. Major, vermiculum fuisse. Talia enim Animalcula in ejusmodi testis reperiri testantur Epistolæ Auzuti & de la Voye, quæ insertæ sunt *Ephem. Erud. Tom. II. Part. I. pag. 169. seqq.* P. Zuchius quoque, uti ex *Ejus Philos. Opticâ pag. 48.* refert Schottus in *App. l. c. pag. 1372.* in massâ argillacea vidit vermiculos quosdam ex ostracæ genere sub marinis aquis, quorum viscidus humor tam eos involvens intra Crustam, quam intus replens tanto fulgore in tenebris luxerit, ut non solum fulgentes ex eo manus illustran-

stran-